



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Petri Laurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ  
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,  
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa  
Canonica Deductus**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1708**

562. An, & qualiter Vicarius Capitularis dicatur Vicarius Episcopi, vel etiam  
Vicarius Capitularis jurisdictionis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

peritos, ac consilio maturos, ut Fagn. in c. super inordinata, de pr. ab. n. 12.

3. Neque suffragatur, si parochus huiusmodi (intellige extero) iam extitisset Vicarius defuncti Episcopi, ut valide dein à Capitulo eligi seu confirmari possit in Vicarium Capitularem. Pignat. loc. cit. n. 8. apud quem *ibidem* plura concernentia hanc materiam residentia Parochialis leges utiliter.

*Quaestio 559. Qua aetas requiratur in Vicario Capitulari.*

**R** Esp. Aetatem viginti trium annorum permitti posse in Vicario Capitulari, si aliàs est idoneus, non tamen id expedire ait Barbof. iur. eccles. l. 1. c. 32. n. 5. sic declaratum testans à S. Congreg. Concilii 11. Aug. 1614. Veruntamen (saltem praescindendo à dicta declaratione) rectius dici videret ob paritatem rationis requiri in eo aetatem ad minimum viginti quinque annorum; dum vi Tridentini ad quasunque dignitates, quibus cura animarum subest, requiritur, ut promovendus vigesimum quintum aetatis annum attigerit, & minor 25. annis ad officium vel dignitatem, quae administratio nem continet, admitti non debeat. L. ad rempub. ff. de mun. & hon. Sbroz. de off. Vicar. l. 1. q. 35. n. 3. & 4. Et hinc Vicarius Episcopi generalis, qui habet dignitatem cum administratione rerum spiritualium, non debet esse minor 25. annis, Sbroz. *ibid.* n. 2. juncto n. 4. Ità, ut ne quidem Episcopus super hac aetate Vicarii sui dispensare valeat, Sbroz. loc. cit. n. 6. citans Abb. in c. cum in cunctis. §. inferior. de elect. n. 3. Card. in Clem. 1. q. 38. n. 25. de off. Vicar. dicens opinionem Archidiacon. in c. licet canon. de elect. n. 6. sententiam contrariam communiter reprobari. Jam verò Vicarius Capituli non minus quam Vicarius Episcopi administrationem rerum spiritualium; quin & curam animarum, saltem consistentem in iurisdictione illa externa, habeat. Quidquid sit de hoc, dum hic Vicariatus sit quoque dignitas, quin etiam addit Sbroz. nu. 7. & 8. non posse à Capitulo sede vacante deputari Vicarium in causa haereticis, nisi is attigerit annum aetatis quadragesimum, & aliàs non valere gesta per illum, etiam si non opponatur. Pro quo citat Pavin. de potest. Capit. sed. vac.

p. 2. q. 10. n. 9. post gloss. in Clem. 1. de haeret. versiculo committi.

*Quaestio 560. Num Vicarius Capituli sede vacante debeat esse constitutus in sacris Ordinibus?*

**R** Esp. Id non requiri; sed posse non minus à Capitulo sede vacante, quam ab Episcopo in Vicarium Capitularem eligi Clericum primae tonsurae. Dian. p. 8. tr. 4. resol. 59. Ventrig. ro. 2. annor. 15 §. 2. n. 61. & apud hunc Meroll. ro. 3. d. 7. c. 7. dub. 18. n. 189. contra Venerum in Exam. Episc. l. 4. c. 1. n. 18. & Novarium in sum Bullar. to. 1. tit. de Capit. sed. vac. n. 19. audacter dicentem, quod licet Trident. hanc qualitatem in Vicario non requirat, Clementem tamen VIII. in literis per illum relatis expressè sic jubere, ut Canonicus, qui non est in sacris, non possit esse Vicarius. Quas tamen literas id non continere ait Ventrigl. & dictarum literarum nullum testimonium authenticum afferri, ait Meroll. apud Dian. Et quàmvis haec litera reperirentur, nihilominus hodie non obligarent; quia continent praecipuum personale lacum, scilicet ab homine, quod morte dicti Clementis exspiravit. Quin & responsionem nostram procedere, ait Ventrigl. tametsi Clericus in minoribus electus in Vicarium Capitularem obtineat canonicatum, cui Diaconatus, vel Presbyteratus Ordo annexus est, & ita obligetur intra annum hunc Ordinem suscipere, juxta dispositionem Tridentini sess. 22. c. 4. ità ut adhuc elapso anno possit eligi in Vicarium: cum licet talis Canonicus ob non promotionem privetur voce activa in Capitulo, non tamen voce passiva (haec enim absolute est vox, & de ea, & non de voce passiva privationem illam intelligunt Barbof. de can. & dignit. c. 16. n. 18. & 41. n. 1. in fine. Garcias de benef. p. 3. c. 4. in addit. sub n. 15. contra Less. de iust. l. 2. c. 34. n. 105.) adeoque remanet eligibilis.

*Quaestio 561. Num illegitimus eligi possit in Vicarium Capitularem sede vacante?*

**R** Esp. Negativè: eo quod qui etiam solum ad interim pro tempore vacantia statuuntur Superiores ordinarii (qualis est dictus Vicarius) debeant esse legitimi. Passer. de elect. c. 25. n. 160. contra Sylv. & Rodriq.

## CAPUT QUINTUM.

### De Iurisdictione & Potestate Vicarii Capitularis.

*Quaestio 562. An & qualiter Vicarius Capitularis dicatur Vicarius Episcopi, vel etiam Vicarius episcopalis iurisdictionis?*

**1.**  Esp. ad primum, Vicarium Capitularem non esse, nec dici Vicarium episcopi. Pax Jord. l. 12. tit. 2 n. 3. Sbroz. de off. Vicar. l. 1. q. 16. n. 6 & seq. citans gl. in Clem. & si principalis. de rescript. v. Episcop. Felin. in v. eam re. de rescript. n. 17. Pavin. p. 2. q. 10. n. 2. Lambert. de jurep. l. 1. p. 3. a. 7. q. 1. n. 3. & c. Vicarius enim ille vicem aliam sive alterius gerere non potest, quàm illius, à quo P. Laurentii Tract. III. De Capit. sed. vac.

habet iurisdictionem; eam autem habere non potest ab Episcopo, utpote qui non est amplius sede vacante, sed à Capitulo, quod ipsum iurisdictionem Episcopalem habet, & estque Episcopi successor; adeoque Capituli, & non Episcopi dicitur successor Pax. Jord. loc. cit. Sbroz. loc. cit. n. 10. Et sane, si Vicarius hic esset, & diceretur Vicarius Episcopi, iam ubi Papa delegasset Episcopo, aut ejus Vicario hic & nunc potestatem absolvendi à casu aliquo, posset defuncto Episcopo Vicarius Capitularis absolvere, ac ita majorem iurisdictionem haberet, quàm Capitulum, à quo tamen iurisdictionem suam accipit, prout hoc absurdum deducit Sbroz. loc. cit. n. 1. & 2. Pari modo ex his deducit Felin. loc. cit.

cit. apud Laym. in c. Romana. de off. Vicar. n. 16. quod si à Papa delegata fuisset causa Vicario seu Officiali Episcopi, hæc ab eo cognosci non posset, dum is mortuo Episcopo confirmatus fuisset in Vicarium Capituli, eod quoddam non esset amplius Vicarius Episcopi, sed Capituli. quamvis addat Laym. contrarium tamen probabiliter tradi à Sanch. lib. 8. de matrim. d. 27. n. 33. eod quoddam, cum jurisdictionem Episcopalem (ut mox dicitur) vice Capituli exerceat, quodammodo sit Vicarius Episcopi, licet eum appellat Zabarell. in Clem. 2. de rescript. q. 123. accedat insuper, quod in his commissionibus ad mentem potius Papæ, quam ad juris rigorem attendi debeat. Item quoddam, ut Beronius in c. quoniam. n. 81. de off. deleg. ex Bald. in l. 4. c. de emancipat. liberor. Licet rescripta ad lites strictam habeant interpretationem, quatenus concurrunt jura ex præjudicio patium; amplam tamen interpretationem mereantur, quatenus decernunt potestatem seu facultatem principis concedentis aut delegantis.

2. Resp. ad secundum: Est tamen, & dicitur Vicarius episcopalis jurisdictionis; quippe exercet jurisdictionem ab Episcopo defuncto translatis ad Capitulum, quæ est ipsa jurisdictione Episcopalis. Etsi enim Episcopus defunctus sit, remanet tamen in rerum natura, & ipsi Capitulo jurisdictione illius, seu Episcopalis. Neque enim illa, etsi ab Episcopo nomen habet, essentialiter respicit Episcopum in vivis existentem, Sbroz. cit. n. 6. juncto nu. 12. Pax-Jord. loc. cit. Laym. loc. cit. Pirh. ad tit. de off. Vicar. n. 78. Neque tamen conferunt Vicarius episcopalis jurisdictionis simpliciter, sed tantum illius, quæ devolvitur ad Capitulum, seu quæ est in Capitulo, in quantum representat Episcopum. Jam verò non simpliciter tota jurisdictione & potestas Episcopi devolvitur ad Capitulum, dum multa remanent, quæ per Capitulum, ejusve Vicarium exerceri nequeunt, sicut exerceri poterant per Episcopum viventem.

*Quæstio 563. In qua jurisdictione Vicarius Capitularis succedat Episcopo?*

Resp. Succedit Episcopo in jurisdictione ordinaria, non autem delegata. Pax-Jord. l. 12. tit. 2. n. 19. citans Pavin de potest. Capit. sede vac. p. 1. q. 10. in principio. Idque etiam quoad delegatam generaliter à jure, nisi forte urgente necessitate expediendi actus, ubi spes non est de futuro brevi successore. Item succedit in potestate & jurisdictione spectante ad Episcopum jure communi & proprio; non verò in iis, quæ competunt jure speciali seu accidentali. Item in juris electione contentiosa & necessaria, seu quoad ea, quæ sunt gratiæ, nisi quatenus à jure concessa; vel etiam ut alii, succedit in omnibus, exceptis solum iis, quæ specialiter ei à jure prohibentur. Pax-Jord. cit. num. 19. & 20. Veruntamen loquendo brevius: Vicarius succedit Episcopo in omni illa potestate & jurisdictione, in qua ei succedit Capitulum; totam enim illam exercet nomine Capituli, & in his omnibus dicitur locum tenens Capituli. Proinde illa revivenda sunt, quæ hac de re in particulari dicta sunt supra sub initium hujus Tractatus de jurisdictione & potestate Capituli.

*Quæstio 564. Qualiter jurisdictione illa restat penes Vicarium?*

Resp. Transire ad Vicarium nudum hujus jurisdictionis exercitium: non enim Capitu-

lum constituendo Vicarium se abdicat ipsa jurisdictione, sed ea habitualiter & principaliter residere pergit penes Capitulum. Pax-Jord. loc. cit. n. 34. Pignat. to. 9. consult. 59. n. 3. Pirh. ad tit. de off. Vicar. n. 78. Fagn. in c. his, qua. de major. & obed. n. 73.

*Quæstio 565. A quo Vicarius habeat illam jurisdictionem, sive à quo committatur illi jurisdictionis exercitium?*

Resp. Quidquid Vicarius Capituli quæ talis habet jurisdictionis, vel potestatis, id totum habet immediate à Capitulo, vel à Metropolitanano, dum Capitulum negligeret eligere Vicarium. Castrop. tr. 13. de benef. d. 2. p. 29. n. 5. citans Barbof. de potest. Episc. p. 3. alleg. 54. n. 180. Garc. de benef. p. 5. c. 7. n. 30. Sed neque eam habet à Tridentino. Suar. to. 5. in 3. p. d. 7. f. 3. n. 13. quem citant & sequuntur Castrop. loc. cit. Garc. loc. cit. n. 32. contra Ugolin. de cens. tab. 1. c. 10. §. 2. n. 4. Tridentinum siquidem devolutam ad Capitulum jurisdictionem eidem non abstulit, nec imminuit aut immutavit; sed solum præcepit illi modum utendi illa jurisdictione, seu eam exercendi, nempe per Vicarium à se electum, cui usum & exercitium suum committeret. hoc autem præcipiendo Concilium dici nequit concedere jurisdictionem illam Vicario, aut ad hoc interponere auctoritatem suam; adeoque hoc præcepto dato Capitulo Vicarius ille Capituli vicem Capituli gerit, & utitur jurisdictione quoad exercitium accepta à Capitulo. Garc. cit. n. 32. ex Suar. loc. cit. Idemque est, dum Metropolitanus ob negligentiam Capituli deputat Vicarium. Etsi enim Vicarius in eo casu habeat usum & exercitium jurisdictionis Capituli independentem à voluntate Capituli, quam in eo casu supplet auctoritas Tridentini, vel potius Metropolitanus ex auctoritate Tridentini, habet tamen exercitium illud dependens, aut dependenter à potestate & jurisdictione Capituli, in quo ea residere pergit. Garc. nu. 33. ex eodem Suarez.

*Quæstio 566. An tota illa jurisdictione Capituli quoad exercitium transeat ad Vicarium, ita ut Capitulum nihil sibi per seipsum exercendum reservare possit.*

1. Resp. Capitulum deputando Vicarium potest sibi ipsi reservare aliqua per seipsum exercenda, sive potest in ipsa deputatione Vicarii eidem concedere exercitium jurisdictionis & potestatis suæ restrictum & limitatum quoad aliqua; cum enim jurisdictione principaliter residet penes Capitulum, & Vicarius illam recipiat non nisi de manu Capituli, inconveniens non videtur Capitulum posse eam ampliare & limitare. Ita tenent Barbof. in eccl. l. 1. c. 32. n. 43. citans Vulpe. in pr. fore eccl. c. 44. n. 28. Raguc. de voce can. 9. 40. n. 14. Pavin. p. 1. q. 10. n. 5. Item ita tenet Dianap. 8. tr. 4. resol. 62. citans Novar. in sum. Bull. tom. 1. tit. de Cap. sed. vac. num. 17. Item Pignat. to. 9. consult. 59. nu. 4. Ventrigli. loc. cit. num. 18. Pirh. ad tit. de off. Vicar. nu. 78. Garcias loc. cit. n. 25. ubi licet antea (hoc est, in prima consideratione Vicarii) posset dare huic Vicario potestatem restrictam & limitatam, &c. & n. 30. ubi si tamen de facto Capitulum det Vicario à se electo limitatum mandatam reservando sibi aliqua, non videtur Vicarius posse exercere potestatem in illis, quæ sibi Capitulum reservavit, cum Vicarius ipse non habeat aliunde jurisdictionem